



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM** CONSTITUTIO APOSTOLICA **TORONTINA** \*IN CANADA NOVA

CHALDAEORUM EPARCHIA CONDITUR Qui regimen exercemus universae catholicae Familiae, curam adhibere non omittimus de singulis Ecclesiis toto terrarum orbe constitutis. Itaque Filiis Nostris de ritu Chaldaico consulere exoptantes, qui labente temporis cursu, varias ob necessitudines propriis regionibus relictis, novam residentiae et operis sedem in hospitalibus Canadae terris invenerunt, bene fieri censuimus, si, iuxta preces Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus nova inibi circumscriptio ecclesiastica pro illis constitueretur. Qua re, praehabito consilio Venerabilis Fratris Nostri Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum, una cum eius Synodo, itemque annuente Conferentia Canadae Episcoporum, necnon audito Venerabili Fratre Petro López Quintana, Archiepiscopo titulo Acropolitano atque in ea Natione Nuntio Apostolico, aliisque quorum interest, Apostolica Nostra ex potestate, pro fidelibus Chaldaici ritus in Canada commorantibus novam eparchiam *Sancti Addai in urbe Torontina* condimus cuiusque eparchialem sedem Toronti ponimus, cum omnibus iuribus et obligationibus tali novae conditioni inhaerentibus, ad normam Canonum Ecclesiarum Orientalium Codicis, Quae iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.* Tharsicius card. Bertone

*Secretarius Status* Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Piva, *Protonot. Apost.*,

---

*s.n.*

\*A.A.S., vol. CIII (2011), n.8, pp.511-512. © Copyright 2011 - Libreria Editrice Vaticana

---